



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

XVIII. Markgraf Otto I. bestätigt dem Domcapitel die Schenkung des Dorfes Damme, am 2. Juni 1164.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

Premonstratensis ibi semper perseveret, auctoritate beati Petri et nostra confirmamus. Quod si quis hoc factum violare presumpserit, anathematis vinculo, donec respiscat, semper astrictus maneat. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M. C. LXI. indictione IX. Hujus rei testes sumus: ego Arnoldus, abbas de Nienburg, decanus Hazeko majoris ecclesie Magdaburg, et tota ecclesia, que in eadem sinodo presens fuit. Balderammus, prepositus beate Marie in Magdaburg, Conradus, prepositus de Hallo, Ekehardus, prepositus de Monte sereno, Albertus, marchio, Otto et Albertus filii ejus, Otto et Theodoricus, marchiones, Heinricus, Dedo, comites, filii marchionis Conradi, Burchardus, castellanus de Magdaburg, Burchardus, comes de Valkenstein, Bedericus, comes, ministeriales Magdeburgensis ecclesie Richardus, Gernotus, Conradus et alii quam plures nec non et Reinerus, prepositus de Lieceke cum fratribus suis, qui illic presentes aderant.

Nach dem Originale.

XVII. Rudolph von Jericho schenkt dem Domcapitel das Dorf Damme, vor 1164.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, tam futuris quam presentibus imperpetuum. Quod dignum et iustum est et hactenus ecclesiastico jure celebratur, ut pauperes Christi oblationibus fidelium sustententur, ego Rodolfus, divine retributionis intuitu et pro remedio anime mee, et patris mei et matris mee et domini Hartmanni, ecclesie Brandenburgensi contuli villam videlicet Dambe. Quapropter petimus, ut in eadem ecclesia memoria beati Johannis ante portam latinam celebri devotione agatur, et fratres ibidem deo regulariter servientes ipsa die de redditibus prenotate ville amplioris portionis impertionem percipiant, post obitum vero meum superioribus mutatis, die anniversarii mei pro memoria anime mee presignati beneficii collatione fratres resciantur. De cetero rogamus, ut prefati Hartmanni memoria in communi commemoratione animarum apud vos annuatim fraterne agatur. Amen.

Nach dem Originale.

XVIII. Markgraf Otto I. bestätigt dem Domcapitel die Schenkung des Dorfes Damme, am 2. Juni 1164.

Quoniam iustum est nobis, qui divitias hujus mundi accepimus, elemosynarum largitate amicos in deo facere, ut, cum res mundi deficiant, nos in eterna tabernacula recipiant, ego Otto, dei gratia Brandenburgensis marchio, villam Damba, a Rodolfo de Jhericho, fideli nostro, zelo dei resignatam, siquidem illam in beneficium tenuit, illam, inquam, Wiberto, Brandenburgensi ecclesie preposito et suis fratribus eorumque omnibus successoribus, Wilmaro, Brandenburgensi episcopo, decimas simul dante, perpetua stabilitate in usus necessarios cum omnibus appendiciis contradidi et hanc nostram donationem ad posteritatis memoriam per presentem paginam sigilli nostri impressione signatam confirmavi. Et ut hoc factum inconvulsum permaneat, majestatis imperialis consensu et auctoritate feci, sicut monstrat pagina privilegii, Brandenburgensi ecclesie ab honorabili

domino nostro Friderico, Romanorum imperatore, dati et sigillo imperiali confirmati. Et ne ulla persona hoc factum nunc vel in posterum temere immutare presumat, illud a Brandenburgensis ecclesie prefato episcopo Wilmaro sub anatematis sententia coram ecclesia confirmatum omnis posteritas cognoscat. Hujus donationis et confirmationis testes sunt: comes Adelbertus et comes Bernhardus, filii marchionis Adelberti, Badericus, castellanus de Brandeburch, Sifridus, castellanus de Arneburch, Germanus de Gummere, Gerhardus Falco. Facta et data est hec pagina anno dominice incarnationis M^o. C^o. LXIII^o. indictione XII III. nonas Junii.

Nach dem Originale. Auf der Rückseite steht: Datum per copiam. — Gercken's Stifteh. S. 354.

XIX. Wilmar, Bischof von Brandenburg, bestätigt die Stiftung des Domcapitels auf der Burg 1166.

— Notum facimus universitati fidelium tam presentium quam futurorum, quod ego Wilmarus, Brandenburgensis ecclesie episcopus, canonicos ordinis Premonstratensis, quos olim pie memorie ejusdem ecclesie episcopus Wigerus ante castrum Brandenburg in ecclesia beati Godehardi scilicet in parrochia ejusdem ville, que dicitur Parduin, collocaverat, ego, inquam, consilio et auxilio Wigmanni, venerabilis sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopi, et Brandenburgensis marchionis Adelberti, et marchionis Ottonis, filii ejus illos in ipsum castrum Brandenburg in sedem pontificalem, quam pie memorie Otto imperator fundavit, transposui et perpetua stabilitate, auctoritate patris et filii et spiritus sancti et beati Petri, apostolorum principis, cujus idem episcopatus est, et nostra, ex deo collocavi, concedens et omnimodis stabiliens, ut omne jus tam in archidiaconatu et electione pontificis quam in aliis, quod cathedrales canonici habere debent, habeant et ibi in perpetuum obtineant. Ipsam ergo ecclesiam beati Godehardi, a qua migraverunt, quam perpetua stabilitate cum parrochia prefate ville Parduin a pie memorie episcopo Wigero receperant, ipsam, inquam, et si que alie ecclesie in eadem villa fuerint in posterum edificate, omnes illas cum parrochia totius prefate ville nec non et ecclesiam beate Marie in monte, que dicitur Harlungberg, Ottone marchione sic volente et sui juris donum in perpetuum concedente, prefatis canonicis in perpetuum beati Petri apostoli auctoritate et nostra confirmamus. Ut hujus ergo confirmationis scriptum, remota omni ambiguitate et contradictione, ratum permaneat, illud ego et marchio Otto sigillorum nostrorum impressione communivimus. Si qua ergo persona clericalis aut laicalis hoc factum irrumperere presumpserit, sit anathema Maranatha. Hujus testes sunt Wigmannus, sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus, Walo, Havelbergensis episcopus, Evermodus, Racesburgensis episcopus, Wibertus, ejusdem loci prepositus, Reinherus prepositus de Lizeche, nec non et tota ejusdem ecclesie synodus. Actum anno dominice incarnationis M^o. C^o. LXVI^o. indictione VII. concurrente II. epacta VI. feliciter. Amen. Amen. Amen.

Nach dem Originale. — Gercken's Stifteh. S. 356.